

Erasmus Roterdamus: Salutandi Formulae

In primo congressu

Non temere docet quidam, ut salutemus libenter. Comis enim et blanda salutatio saepe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit: certe mutuam benevolentiam alit augetque. Quidam usque adeo Demeae¹ sunt, ingenioque agresti, ut vix salutati resalutent. Nonnullis hoc vitii conciliavit educatio verius, quam natura.

Urbanitatis est, salutare obvios, aut eos, qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, coenantes, oscitantes,² singultientes,³ sternutantes,⁴ tussientes. In ructu⁵ crepituve ventris salutare, hominis est plus satis urbani. Sed incivilius etiam, eum salutare, qui reddit urinam, aut alvum exonerat.

Salve pater, salve matercula, salve mi frater, salve praeceptor observande, salve multum, mi patruus,⁶ salve dulcissime nepos.

Urbanum est, addere cognationis aut affinitatis titulum, nisi quum habent aliquid odii: tum enim praestat abuti minus quidem propriis, sed plausibilibus: veluti, quum novercam salutamus matrem; privignum,⁷ filium; vitricum, patrem; sororis maritum, fratrem; fratris uxorem, sororem. Idem in aetatis aut officiorum titulis faciendum. Gratus enim fuerit, si senem patrem, aut virum eximium salutes, quam aetatis cognomine; etiamsi olim honoris causa dicebatur, (geron). Salve praefecte, salve tribune. Non autem, salve caligarie,⁸ aut calcearie. Salve adolescens, salve iuvenis. Senes ignotos adolescentes filiorum cognomento salutant, adolescentes vicissim illos patres aut dominos.

Blandior salutatio inter amantes.

Salve	{	mea vita	}	mea Cornelia
		mea lux		
		meum delictum		
		meum suavium		
		mel meum		
		mea voluptas unica		
		meum corculum		
		mea spes		
		meum solatium		
meum decus				

Honoris gratia, aut secus

Salve here. Ohe, salve tu quoque, bone vir. Salve vir ornatissime, clarissime. Salve etiam atque etiam, literarum decus. Salve pluri-

¹ Demea] agrestis, rudis, inurbanus

² oscito] os commovere et os totum aperire, ut fit prae somno aut taedio

³ singultio] singultum emittere; singultus est motu citus, intermissus et creber stomachi ex copia cibi

⁴ sternuto] frequenter sternuo, sternuo est flatum e pectore impetu emittere

⁵ ructus] cibi et potus in stomacho male concoti ventosa per os exspiratio

⁶ patruus] frater patris

⁷ privignus] filius mariti, vel uxoris meae, alterutro parente carens: cui respondent vitricus et noverca.

⁸ caligarius] sutor caligarius

mum, amicorum optime. Salve mi Maecenas. Salve patrone singularis. Salve vir spectatissime. Salve unicum huius aetatis ornamentum. Salve Germaniae delictum. Salvete, quotquot estis, una salute omnes. Salvete pariter omnes. Salvete belli homunculi. Salve congerro⁹ lepidissime. Salve vini pernicies. Responsio. Salve et tu gurges¹⁰, helluoque¹¹ placentarum. Salve multum, virtutis omnis antistes. Responsio. Salve tantundem totius probitatis exemplar. Salve anicula annos nata quindecim. Responsio. Salve puella annorum octoginta. Bene sit tibi cum tuo calvitio. Responsio. Bene tibi cum lacero naso. Ut salutaris, ita resalutaberis. Si male dixeris peius audies. Salve iterum atque iterum. Responsio. Et tu salve perpetuum. Salve plus millies. Responsio. Equidem malim salvere semel. Salve, quantum vis. Responsio. Et tu quantum mereris. Salvere te iubeo. Quid si nolim? Equidem aegrotare malim, quam tua salute salvere.

⁹ congerro] congerrones sodales familiariter conviventes, et nugis ineptisque tempus simul terentes

¹⁰ gurges] proprie locus est in flumine profundus, in quo aqua vertitur

¹¹ helluo] proprie est qui immoderate bona sua consumit (qui satiari non potest)

Salva sit tua	{	Sanctitas. Amplitudo. Celsitudo. Maiestas. Beatitudo. Sublimitas.	}	Magis vulgo recepta sunt, quam probata doctis.
---------------	---	--	---	--

In tertia persona.

Sapidus Erasmo suo salutem dicit. Sapidus Beatum suum plurima salute impertit. [...]

Gravidae.

Faxit Deus ut feliciter parias: ut maritum pulchra prole facias parentem. Faxit illa virgo mater, ut feliciter fias mater. Precor, ut hic tumor uteri feliciter subsidat. Velint superi, ut non maiore molestia elabatur, quale illapsum est, quidquid est hoc oneris, quod gestas. Donet tibi Deus felix puerperium. Convivis. Sit felix convivium. Bene sit universo coetui. Precor omnia laeta vobis omnibus. Deus bene fortunet vestrum convivium.

Sternutanti.

Sit faustum ac felix. Servet te Deus. Sit salutiferum. Bene vertat Deus. [...]

Vale, in digressu.

Valete omnes. Bene vale. Cura, ut quam rectissime valeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Iubeo te bene valere. Iam me tempus alio vocat, tu valebis. Valetio quam optime. Vale pancratice aut si mavis athleticè. Vale, ut dignus es. Vale ut meritis. In hoc biduum valebis. Si me dimittis, valebis in crastinum. Num quid vis? Est aliud quod me velis? Responsio. Nihil, nisi ut prospere valeas. Da operam, ut sis prospera valetudine. Age curam valetudinis tuae. Habe curam salutis tuae. Fac ut proximo congressu te laetum ac nitidum videamus. Iubeo te curare cuticulam. Cura, ut sit mens sana in corpore sano. Da operam, ut totus valeas, tum corpore, tum animo. Responsio. Dabitur quidem opera. Valebis tu quoque. Tibi vicissim precor prosperam valetudinem. [...]